



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Q. 3. Quotuplex Jubilæum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

S. I. *Denom. naturâ, &c. Jubilei.* 31
25. a. 1. ad 3. & sic, inquit Sylvius
Supplem. ibi, Quæst. 2. ad 4. præter ab-
solutionem, etiam intervenit solutio.
Quæ sententia, inquit Joan. Præposi-
tus *De Indulg. n. 20.* ita videtur certa,
ut absque notâ negari non possit, cum
tota contineatur in Epistolâ Decre-
tali Leonis X. ad Cajetanum, de quâ
suprà.

Plura de Indulgentiis vide apud
Authores citatos & alios, in quibus
P. Georgius Gobat copiosum Tra-
ctatum edidit pluries recusum. Vide
& quæ dicimus P. 3. Sect. 14. *De In-
dulgentiâ Jubilæâ.*

Q. 3. Quotuplex Jubilæum?

R. Duplex: Universale, quod toti
Ecclesiæ, seu omnibus Christi Fide-
libus conceditur; & Particulare, quod
certo Regno, Provinciæ, Communi-
tati, &c.

Universale est duplex: Alterum
Ordinarium, seu Romanum, quod
Romæ, primùm singulis sæculis, seu
centesimo quoque anno celebraba-
tur; deinde Clemens VI. Extravag.

Unigenitus, decrevit, ut quinquagesimo quoque anno id fieret ; postea Urbanus VI. constituit, ut ob memoriam annorum triginta-trium, quibus Christus Dominus in terris vixit, celebraretur quovis anno tricesimo-tertio; denique, quò plures tanti thesauri participes fierent, Paulus II. anno 1470. Bullâ, *Ineffabilis providentia*, statuit , ut in posterum perageretur anno quolibet vicesimo quinto: atque ita deinceps peractum est.

Porro hic *Annus Jubilæus* dicitur, & *Sanctus*, *Annus remissionis*, *Indulgentiæ*, *veniæ*, *gaudii*, *benedictionis*, *sanctificationis*: & meritò, ut facile ex dictis patet.

Alterum *Jubilæum*, *Extraordinarium* dicitur , quod extra Annum *Sanctum*, pro duabus hebdomadibus concedi solet , post Coronationem Summi Pontificis, ad rectam muneris administrationem, & præcipuè cum Ecclesia gravi aliquâ tribulatione & labore affligitur.